

## Recueil des chartes de l'abbaye de Stavelot-Malmedy, 135

In nomine sancte et individue Trinitatis. Notum sit omnibus sancte et universalis ecclesie filiis presentibus et futuris, quod ego Rigoldus de Alsunza villam sancti Remacli Stabulensis monasterii presulis et patroni Germiniacum nomine in episcopatu Remensi sitam, quam antecessores mei eidem sancto injuste abstulerant, invaserant, possederant, et mihi eadem possessione hereditariam reliquerant, amicorum meorum hortatu commonitus et maxime fratrum ejusdem loci frequenti excommunicatione territus, non solum mee anime sed et animarum parentum meorum periculum considerans et nostre communi prospiciens saluti, eidem sancto Remacli reddere, recepta ab abbate et a fratribus loci advocatione et tertia parte nostre decime et tertium denarium de placitis, tertia etiam parte servitii que muanda vocatur, cetera omnia abdicavi, et de his neque me neque aliquem meorum amplius quicquam presumpturum in fide mea promisi; deinde me ita observaturum cum juramento solemni firmavi; deinde obsides dedi, qui ea que fide promiseram vel juraveram et ipsi similiter promiserunt et juraverunt, ea scilicet ratione ut si, quod ab sit, ego fidem vel sacramentum violavero, aliquid extra prescriptam conventionem presumendo, ipsi obsides beneficia que ex me habent, absque omni quod mihi debent servitio, tamdiu teneant donec me injuste presumpta juste reddere cogant, quod si facere nequiverint, argentum quod fratres Stabulenses ad expediendum, quod aliquentulum impeditum erat, ejusdem ville bonum causa karitatis et adjutorii, mihi dederunt, scilicet quinquaginta et unam marcas, infra terminum XL dierum idem obsides de proprio ejus restituant. Hoc ipsi obsides, ut dictum est, ita se impleturos primo fide data promiserunt, deinde coram legatis fratrum, Popone preposito et Rogero, supra ripam Setmoys in loco qui dicitur Kerieres sacramento confirmarunt, quorum nomina hec sunt: Gerardus, Gerbez, Reimundus de Sufilnus, Robertus, Waltherus de Condero, Alboldus de Tanui, Rogerus de Sins, Richerus Baterans, Albricus Materans, Adelelmus, Wiardus filius Bliardi. Testes vero qui huic redditioni vel his conventionibus interfuerunt hii sunt: Godefridus de Masieres, Auredus filius ejus, Godefridus de Urcismont, Rodulfus de Hunhaia, Waltherus de Halois et Godefridus filius ejus, Lambertus de Bulin et Frainels nepos ejus, Cuono de Ham, Theodericus de Halentina, Arnulfus de Auenz, Harduinus de Gemina. Et de hominibus ecclesie hii sunt testes: Widericus de Uuansina, Widericus judex, Godefridus de Welin, Bertricus de Spontin, Waltherus de Baruisin, Werizo de Siluestrecurt, Reinerus filius Ermengoldi de Osois, Adelardus de Dinant, Waltherus de Hartania, Widericus de Braz et alii plures. Acta sunt hec anno incarnationis Domini M<sup>o</sup> C<sup>o</sup> III<sup>o</sup>, indictione XII, V<sup>o</sup> non. julii, regnante Heinrico III Romanorum imperatore augusto, Otberto Leodiensi presule, Folmaro Stabulensi abbate. Postea vero ipso anno ego Rigoldus in festo sancti Remacli cum aliquibus predictae conventionis obsidibus Stabulans veni et coram ejusdem loci abbate et tota congregatione, et Heinrico comite et advocatione, et Thiebaldo subadvocatione, et comite Cuonone et filio ejus Lamberto, et Herimanno Salmucensi comite et fratre ejus Ottone, et Frederico comite de Aremberg et coram totius cleri et nobilium seu popularium frequentia, que prescripta sunt renovavi omnia et super ipsius sancti Remacli corpus cum presentibus obsidibus juravi me cuncta observaturum sine omni malo ingenio vel calliditate, sine argumentorum fallacia. Deinde abbas cum tota congregatione clericorum qui frequentes aderant ordine, omnes hujus redditionis vel conventionis violatores seu ejusdem boni injustos invasores excommunicavit et eterno dampnavit anathemate coram innumerabili utriusque sexus multitudine, cujus excommunicationis exemplar hic subnotavimus.

Ex auctoritate Dei Patris omnipotentis et Filii et Spiritus sancti et sancte Dei genitricis virginis Marie et sancti Michaelis archangeli et omnium celestium virtutum et sancti Petri apostolorum principis et sancti Remacli patroni nostri omniumque sanctorum atque sanctorum canonum excommunicamus et anathematizamus ab introitu sancte Dei ecclesie et a consortio totius christianitatis omnes qui in villa Germiniaci quicquam injuste et immaniter contra nos vel ecclesiam nostram egerint, vel quorum consilio et instinctu et adiutorio, injusticia, rapina vel preda facta fuerit, ita videlicet ut sint maledicti in domo, maledicti in agro, maledicti in omni loco in quo steterint vel ambulaverint, sederint aut jacuerint, maledicti manducando, maledicti in bibendo, maledictus cibus et potus eorum, maledicti dormiendo et vigilando, maledicta terra in opere eorum, maledictus labor et fructus terre eorum, maledictus introitus et exitus eorum, maledicti a vertice capitis usque ad plantam pedis, fiant uxores eorum vidue et absque liberis, percutiat eos Dominus egestate, fame febre, frigore, estu et corrupto aere et dentium labore, percutiat eos amentia et cecitate ac furore mentis, palpent in meridie sicut palpare solet cecus in tenebris, persequatur eos Dominus, donec pereant de terra, deglutiat eos terra vivos sicut Dathan et Abyron, et descendant in infernum viventes, ut sint cum Juda traditore Domini et cum Pilato et Herode et cum ceteris malefactoribus qui in inferno sunt, nisi respiscant et ecclesie Dei satisfaciant, fiat, fiat. Quod [ut] invulsum et ratum permaneat in eternum, sancti Remacli auctoritate ipsius et sigilli impressione signavimus. Ego Obertus gratia Dei Leodiensis episcopus, petitione domni abbatis Folmari et fratrum quia mee dyocesis sunt, hanc cartam in synodo mea, ut debui, confirmavi et hujus redditionis vel conventionis violatores seu ejusdem boni injustos invasores excommunicavi et eterno dampnavi anathemate.